



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. Solvuntur opposita

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

457. *Fit 1.* Possibile esse speciem impressam Dei, non quidem, quæ sit medium objectivum, in quo visio, Deus intuitivè videtur; bene verò, quæ sit virtus objectiva loci Dei concurrens cum intellectu, & lumine ad visionem beatam elicendam. Ratio est, quia species, quæ sit medium, in quo Deus intuitivè videtur, deberet esse tam perfecta, ac ipse Deus, aliter ipsa visio non posset dici, quòd essentia divina intuitivè videretur; at ut sit species vicaria objecti, non requiritur, quòd habeat tantam virtutem, quantum habet objectum, sed quòd respondeat visioni intuitivæ circa objectum, ut patet in specie impressa, qua intuitivè videtur homo, quæ non est tam perfecta, ac ipse homo. Atqui licet non repugnet species impressa Dei, quæ habeat virtutem proportionatam ad visionem intuitivam Dei, repugnat tamen ea species, quæ foret tam perfecta, ac ipse Deus; ergo &c. Exinde

458. *Fit 2.* Authoritates D. Thomæ, aliorumque P. P. quæ afferi solent de probandam impossibilitatem speciei impressæ Dei, intelligendas solum esse de specie illa, in qua visa Deus intuitivè videretur, secus de illa, quæ esset vicaria objecti ad producendam visionem objecti. Ratio est, quia quando P. P. negant possibilem speciem impressam Dei, ideo negant, quia nulla est possibilis species impressa tam perfecta, ac ipse Deus; sed species impressa, quæ debet esse tam perfecta, ac ipse Deus, non est illa, quæ esset præcisè vicaria objecti ad elicendam visionem Dei, ut constat ex n. superiori, & diximus n. 440. sed illa, in qua Deus intuitivè videretur; ergo &c. Min. & conseq. tenent; maj. patet ex D. Thoma 1. parte quæst. 12. art. 2. ubi postquam docuit, non posse dari speciem Dei impressam, ita concludit; non autem per aliquam similitudinem creatam Dei essentia videri potest, quæ ipsam divinam essentiam repræsentet, ut in se est; hæc autem est causa, propter quam in Verbo Divino possunt videri intuitivè creaturæ, cum sit perfectus omnibus creaturis, earumque omnium perfectionem eminenter contineat; & cur in creaturis non possit intuitivè videri Deus, cum creaturæ non sint tam perfectæ, ac Deus, neque eminenter contineant omnem perfectionem divinam.

SECTIO II.

Solvuntur opposita.

459. *Objic.* primò contra primam conclusionem. D. Thomas in locis, præsertim in 1. parte quæst. 12. art. 20. quodlibet. 7. quæst. 1. art. 1. & primo contra gentes c. 6. ac sæpe alibi docet, non esse possibilem speciem impressam Dei; ergo talis species repugnat. *Confir.* 1. Non minus est Deus per se intelligibilis, & sua intelligibilitas, quam lux seipsa sit visibilis, sed quia lux se ipsa est visibilis, nequit fieri visibilis per aliam lucem; ergo Deus, quia est se ipso visibilis, ex sua intelligibilitate, nequit fieri intelligibilis per speciem impressam. *Confir.* 2. Quia albedo se ipsa est alba, non potest fieri talis per aliam

qualitatem; quia unio est ratio conjungendi extrema, non potest unio uniri per aliam unionem, alioquin daretur processus in infinitum, & illud, quod est tale per essentiam, fieret tale per participationem, quod implicat; ergo &c. *Confir.* 3. Quia Deus est ipsa intelligentia, non potest non fieri intelligens per aliud à se; ergo quia est prima intelligibilitas, seu visibilitas, non potest fieri intelligibilis, seu visibilis per aliud à se.

Resp. dist. ant. non esse possibilem speciem 460. *æquè perfectam ac ipsum Deum, sive in qua visa Deus intuitivè videatur, conc. non æquè perfectam ac ipsum Deum, & quæ sit purè vicaria objecti ad elicendam Dei visionem, neg. ant. & consequentiam. Quod autem hæc sit meus D. Thomæ, constat ex dictis num. superiori, tum etiam ex verbis ipsius D. Thomæ 1. parte quæst. 12. art. 2. ubi sic habet: per nullam similitudinem creatam DEI essentia videri potest, primò quidem, quia, sicut dicit Dionysius de Div. Nom. per similitudines inferioris ordinis rerum nullo modo superiora possunt cognosci; quibus in verbis manifestè loquitur de specie, quæ sit medium, in quo viso videatur intuitivè Deus; & proinde sit species tam perfecta, ac ipse Deus; non verò de specie, quæ sit purè vicaria objecti ad elicendam intuitionem objecti, cum ipse D. Thomas doceat in Angelis dari species impressas, quæ sunt qualitates accidentales ad elicendas cognitiones intuitivas substantiarum. Unde ex D. Thoma species, quæ est purè vicaria objecti, non debet esse ejusdem perfectionis cum objecto: quare quando negat speciem impressam Dei, quia esset ejusdem perfectionis cum Deo, non potest intelligi de specie, de qua loquimur, & quæ sit purè vicaria objecti.*

Ad primam confir. retorqueo argumentum. 461. *Non minus est Deus per se intelligibilis, & sua intelligibilitas, quam lux se ipsa sit visibilis; sed lux per nullam aliam lucem potest videri; ergo Deus per nullam aliam cognitionem potest cognosci. Resp. deinde dist. maj. non minus, & eodem modo, nego maj. diverso modo, conc. & dist. min. nego consequentiam. Ratio est, quia Deus ita est intelligibilis, ut non possit reddi actu intellectus à creaturis, nisi pro libitu suo, & modo, quo ipse voluerit, unde si voluerit actu intelligi per speciem impressam, poterit ita reddi actu intellectus; at lux non est iravisibilis, ut solum pro libitu suo possit actu videri, unde paritas est valde à longè petita. Exinde ad secundam confir. retorqueo argumentum; quia albedo se ipsa est alba, non potest fieri talis per aliam qualitatem; ergo quia Deus seipso est intelligens, & cognitus per nullam aliam, cognitionem potest fieri cognitus. Resp. deinde dist. ant. quia est alba ut pura forma, & unio est ratio uniendi ut pura unio, conc. præcisè quia albedo est alba, & unio est ratio uniendi, nego ant. & consequentiam.*

Ratio est, quia Deus non est ita pure à se ipso 462. *intellectus,*

intellectus, ut non sit & ab alio intelligibilis; constat enim ex fide, de factò cognosci, videri, & intelligi à Beatis; unde paritas desumpta à formis, & modis physicis est omnino inutilis, quia formæ physicae in ordine ad actum suum specificum se habent purè ut ultima formatis ratio; nec habent capacitatem ut per aliam rationem formalem perficiantur, quod requirebatur ut ab alia forma physica possent determinari; materia enim intrinsecè perficitur à forma, & hæc à materia, & modus à re, cuius est modus; hoc autem non requiritur in objecto, & formis intentionalibus, paries enim, qui est subiectum visionis, non perficitur à visione, nec Deus, qui est objectum beatificum, perficitur à visione beatifica, unde quamvis in se sit summè intellectus, non repugnat, quòd ab alio extrinsecò denominetur intellectus, & quamvis à se sit summè intelligibilis, non repugnat, quòd ab alio extrinsecò denominetur intelligibilis.

464. Ad 3. Confir. dist. ant. non potest fieri intelligens formaliter, conc. objectivè, sive intellectus, nego ant. & consequentiam, quia ut Deus sit intelligens formaliter, debet esse intelligens per intellectionem sibi immanentem, & vitam, cum Deus autem non possit formaliter vivere per aliquid à se distinctum, exinde nequit reddi intelligens formaliter per aliquid à se distinctum; atqui ut reddatur intelligibilis, sive intellectus, non requiritur, quòd vivat per id, quòd intellectus ab alio denominetur, ac proinde non repugnat visio creata, qua intellectus dicatur; pariter cum species, quæ esset purè vicaria sui, non esset Deo vitalis, sed pura virtus ad vitam creatam, sive ad intuitivam Dei visionem, qua creatura vivat, exinde à divina cognitione nulla est paritas ad speciem impressam Dei.

465. Objic. 2. Si daretur species impressa Dei, produceretur à Deo necessariò, species enim objectorum producuntur necessariò ab objectis, cum sint affectiores naturæ, ac proprietates, ac veluti quædam semina, quibus sui cognitionem nata sunt parere; ad eum modum, quo per semen naturale producitur simile; sed species impressa necessariò omnino repugnat; ergo &c. Confir. 1. quælibet species creata, vel creabilis magis distat à Deo, quàm species sensibilis à quidditate rei materialis, & quàm species à phantasmatis abstracta, à quidditate substantiæ Angeli; sed repugnat per speciem sensibilem cognosci essentiam rei materialis, & per speciem à phantasmatis abstractam quidditativè videri Angelum; ergo à fortiori repugnat per speciem creatam Deum quidditativè videri. Confir. 2. Species debet esse ejusdem immaterialitatis cum objecto, est enim virtus proxima ad intelligendum, atque adeò debet esse in eodem gradu immaterialitatis cum natura intellectiva, cuius est virtus, quæ est ratio, propter quam nullus sit possibilis creatus intellectus, qui connaturaliter possit videre Deum, cum nullus sit possibilis æquè immaterialis, ac Deus; sed nulla est possibilis species impressa ejusdem im-

materialitatis cum Deo; ergo nulla est possibilis species impressa Dei. Resp. nego maj. cum illa species impressa sit creata, & quæcumque creata liberè producitur à Deo, exinde illæ species producuntur liberè à Deo; illa quippe sola objecta necessariò producantur speciem, quæ exigunt speciem ad sui intentionalem propagationem, cum autem Deus nullam exigat rem creatam, exinde ab aliis objectis creatis ad Deum est inutilis paritas. Ad 1. Confir. dist. maj. magis distat entitativè, conc. in ratione virtutis productivæ intuitionis, nego maj. & dist. min. nego consequentiam, quæ planè non solum est contra principia jam supra à nobis adducta, sed etiam contra ipsum lumen naturæ. Quis enim non videat, si lumine naturæ orbari non sit, hanc consequentiam esse falsam; magis distat intellectus creatus à Deo, quàm lapis ab intellectu creato; atqui lapis non potest intuitivè videre intellectum creatum; ergo neque intellectus creatus poterit intuitivè videre Deum; sed ne in rebus adeò frivolis tempus impendamus. Ad 2. Confir. neg. maj. quæ evidenter est falsa; nam accidens non est ejusdem immaterialitatis, quàm substantia spiritualis, & tamen adversarii fatentur Angelum habere speciem impressam accidentalem, qua elicit intuitionem substantiarum spiritualium; sic mediis speciebus desumptis à phantasmatis producitur in homine species spiritualis ad eliciendam cognitionem spiritualium, ut adversarii fatentur: unde species, quæ est purè vicaria objecti, non debet esse ejusdem immaterialitatis cum objecto.

Objic. 3. Contrà secundam assertionem. Species impressa non minùs unit intentionaliter objectum intellectui, quàm cognitio bonitatis intentionaliter uniat bonum voluntati; atqui non potest elici actus voluntatis circa bonum, quin præcedat cognitio boni; ergo nequit elici actus intellectus circa objectum, quin procedat species impressa objecti. Confir. Non potest Deus se ipso immediatè concurrere ad amorem creatum absque prævia cognitione, qua ipse intentionaliter uniat voluntati; ergo non potest se ipso concurrere immediatè ad cognitionem creatam sui, quin præcedat species impressa creata, qua se uniat intentionaliter cum intellectu. Resp. 1. nego suppositum, nimirum quòd objectum, ut cognoscatur, debeat propriè uniri cognoscenti, si loquar de unione vera intentionali, ratione cuius virtus objectiva physice uniatur intentionali potentiæ ad eum modum, quo ipsi uniantur, & in hærent habitus infusi, sic enim est, quòd objectum physice concurrens cum potentia sit potentiæ approximatum, ad eum modum, quo duo concausæ, ut pondus elevens, approximatae sunt, quin ulla unio physica inter ipsas intercedat.

Resp. 2. dist. majorem, supra unione prout præscindit à propria, & impropria, conc. prout significant unionem propriam, nego maj. & conc. min. nego consequentiam. Ratio est, quia

quia neque objectum amatum unitur ex necessitate proprie cum voluntate, neque objectum intellectum unitur proprie ex necessitate cum intellectu, sed sicut est unio latè, & improprie; intra hanc autem latitudinem datur magis, & minus, objectum verò amatum dicitur latè unitum, quia præcedit cognitio, qua voluntati proponitur, quæ dicitur latè unio; objectum etiam intellectum debet procedere satis approximatum, ut simul cum potentia concurrat; si verò objectum sit absens, & valde distans, non potest se ipso immediatè cum potentia concurrere; sicut duo valde distantes non possunt simul pondus elevare, unde ea approximatio dicitur latè unio objecti cum intellectu; cæterum cum approximatio nullam requirat inhærentiam, ut patet in Angelo approximato homini, quin homini inhæreat; & in Deo approximato omnibus creaturis, quin ipsis inhæreat; exinde ea unio objecti cum intellectu non requirit speciem intellectui inhærentem. Ad Confr. conc. ant. & nego consequentiam. Quia voluntas ut potentia cæca indiget illuminatione consistente in actu vitali intellectus; at intellectus, cum potentia cæca non sit, tali prærequisito non indiget; quin potius voluntas, cum sit 2. potentia, præsupponit operationem primæ potentie, intellectus verò, cum sit potentia prima, nullam debet præsupponere operationem, sed virtutem tenentem se ex parte sui, atque objectum in genere causæ potens cum ipsa concurrere, titulus autem concausæ nequaquam exigat utriusque unionem, ut in aliis concausis sit evidens.

468. Objic. 4. Contra 3. assertionem. Sicut est conaturalius, quòd naturæ creatæ propriis substantiis sustententur, quàm divinis, & quòd Deus producat lucem medio sole, quàm se solo, ita conaturalius est nostro intellectui, ut perveniat ad cognitionem objectorum media alia spere illi inhærente, eique subordinata, quàm mediante essentia divina, illi assistente, & se ipsa immediatè absque specie concurrente; ergo conaturalius est, quòd visio beatifica defacto fiat media specie impressa. Confr. 1. Si non fieret defacto visio beatifica media specie impressa, essentia divina concurrens cum intellectu ad visionem, uniretur defacto intellectui beato, ac proinde daretur hypostatice unio inter Deum, & Beatorum, sed hoc dici non potest; ergo Confr. 2. Non implicat qualitas aliqua supernaturalis, quæ in se contineat virtutem ad elevandam potentiam in ratione potentie, & ad concurrendum locò objecti; ergo lumen gloriæ defacto est huiusmodi, ac proinde visio beatifica defacto sit media specie impressa Dei.

469. Resp. nego ant. quia substantia proprie est naturæ debita, & lux debita soli, at verò intellectui non est debita species impressa Dei, neque habet titulum ullum, ex quo debeat; cum gratia, quæ est quasi natura in ordine superno, non funder istud jus, ut constat ex num. 454. Unde non est conaturalius intellectui elicere

visionem beatificam media specie impressa, quàm sine illa. Etenim species impressa non est virtus se tenens ex parte potentie, sed concurrens, & se tenens ex parte objecti, & ut vicaria objecti; quando autem objectum est se ipso satis approximatum, & expeditum, non est magis connaturale, quòd concurrat per speciem vicariam sui, quàm per se ipsum, sed potius, si unum è duobus dicendum esset connaturale, conaturalius esset oppositum, cum conaturalius sit, ne multiplicentur entia sine necessitate, & ne frustra fiant per plura, quæ fieri possunt per pauciora. Exinde

Ad primam Confr. Resp. nego maj. quia sicut essentia divina defacto concurrens cum omnibus creaturis per concursum simultaneum, quin uniat cum illis, quantumvis eliciant actus fidei, repræsentantes ipsum Deum, & in patria concurrens per concursum objectivum, quin se uniat cum intellectibus Beatorum; quamvis per suam intensitatem sit in illis. Ad secundam Confr. omitto ant. & nego consequentiam, quia non habemus ullam rationem ad admittendam defacto qualitatem complectentem defacto utramque virtutem, sed potius habemus rationes ad oppositum, ut constat ex supra dict. Quinimò sicut non sunt entia multiplicanda sine necessitate, ita neque sunt multiplicandæ activæ virtutes. Unde neq; philosophicum, neque Theologicum est, talem qualitatem defacto admittere.

Objic. 5. Beati defacto non solum vident Deum ut unum, sed etiam ut trinum, ac proinde relationes divinas, ut constat num. 278. sed relationes divinæ non possunt se ipsis immediatè concurrere ad visionem, aliter daretur aliqua actio ad extra in una persona, quæ non daretur in alia, quod est contra principia Theologica, & contra Concil. Toler. VI. dicens: Inseparabilia sunt opera Trinitatis ad extra; & ex Lateranen. cir. num. 297. ergo defacto visio beatifica fit mediante specie impressa concurrente, tum locò essentia, tum personalitatum. Confr. Conaturalius est produci effectum à causa magis univoca; sed species impressa Dei est causa magis univoca cum visione beata, quàm Deus; ergo conaturalius est, quòd defacto visio producat à specie impressa.

Resp. concessis præmissis nego consequentiam, quia sicut illa species impressa, quam ad versarii adstruunt, quæ concurrens ad visionem locò essentia & personalitatum, deberet produci ab essentia divina realiter, & virtualiter identificata cum omnipotentia, ita defacto essentia divina se ipsa immediatè concurrens ad producendam visionem expressivam sui, & personalitatum, absque ullo particulari personalitatum influxu; influxus enim essentia divinæ jam est influxus personalitatum ut quod, cum sint de constitutione suppositi operantis ex dictis num. 339. sicut enim satis est, quòd species producatur à virtute identificata cum objecto, ut concurrat ad visionem totius objecti, ita satis est, quòd

quod virtus identificata cum objecto ad visionem, ut ratione illius possit videri totum objectum. Ad Confir. dist. maj. à causa magis univoca, inter creatas, omitto, comparative ad causas divinas, neg. maj. & dist. min. neg. consequentiã. Quia effectus à nulla causa univoca tantum dependet, quantum à causa divina; ac proinde ratio univocationis non arguit exigentiam ullam naturalem causæ creatæ præ divina in effectibus.

473.

Objic. 6. Deus in hac vita ad cognitionem sui concurret per speciem; ergo etiam in patria. Confir. 1. Si Deus immediatè se ipso concurreret ad visionem, posset intellectus elicere visionem infinitam, sed hoc repugnat; ergo &c. Confir. 2. ut docet D. Thomas quæst. 8. de verit. art. 7. Angelus, alium Angelum intimè sibi præsentem connaturalius per speciem cognoscit, quam per substantiam cogniti; ergo idem est de Deo. Resp. conc. ant. & nego consequentiam. Quia in via concurret ad cognitionem abstractivam, & obscurem, quam vult sufficientem esse, ut creaturæ cognitionem sui obtinere possunt per species alienas rerum, in quibus divina Majestas cognoscibilis est, ut docet Paulus Romanos 1. *Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspi-*

ciuntur. Sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas. Virtus enim beatifica, cum clara sit, & intuitiva, & facie ad faciem, à Deo procedere immediatè, & à se ipso congruum est, & conformius philolophicis, Theologicis & P. P. testimonis adductis num.

Ad 1. Confir. Resp. nego maj. quia Deus solùm præparat concurrsum suum immediatum juxta beneplacitum suæ voluntatis, unde sicut apud adversarios admittentes speciem impressam Dei, talis species impressa non esset infinita, quia mensuraretur ad beneplacitum Dei perducens, sicque uni Beato posset conferri major, & alteri minor; pariter à fortiori dicendum est de Deo seipso immediatè, juxta ipsius beneplacitum, concurrente. Ad 2. Confir. conc. ant. & nego consequentiam. Ratio est, quia cum Angelus alteri Angelo intimè præsens subducere se possit pro libito, cogetur hic, quoties voluerit alter visionem interrompere. Unde connaturalius est, quod eum videat per speciem, ut constantius videat, nec ad alterius arbitrium cogatur ab illius visione cessare. At respectu Dei nihil tale contingit, cum non possit esse absens, sui que non interruptam visionem, & permanentem Beato promittat, ut constat à num. 217.

